45. *AUCTORITAS Tutoris* est expressa negotii, quod cum pupillo geritur, approbatio.
46. *CURA* est potestas administrandi bona illorum, qui ob ætatis vel mentis defectum rebus suis ipsi superesse nequeunt.
47. *SATISDATIO Tutorum* est cautio fidejussoria, qua Tutores vel Curatores promittunt, rem pupilli vel minoris salvam fore.
48. *EXCUSATIO Tut. vel Curat.* est allegatio impediementi, ob quod quis a Tutela & Cura est immunis.
49. *SUSPECTUS* est, qui non ex fide Tutelam gerit.
- LIB. II. INSTIT.*
50. *RES communes* sunt, quarum usus omnibus Gentibus patet, proprietates vero nullius est.
51. *RES publicæ* sunt, quarum proprietates est certi alicujus populi, usus vero pertinet ad omnes, qui sunt ex illo populo.
52. *RES universitatis* sunt, quarum proprietates est certæ alicujus universitatis vel Civitatis; usus vero perti-

- pertinet ad omnes, qui sunt ex illa Civitate.
53. **RESSACRA** est, quæ rite per Pontificem DEO est consecrata.
54. **RES religiosa** est locus, in quem mortuus illatus est ab eo, qui jus inferendi habet.
55. **RES sancta** est, quæ pœnali sanctitate adversus violatores est munita.
56. **DOMINIUM** est jus de re corporali perfecte disponendi, eamque vindicandi, nisi Lege vel conventionem prohibeatur.
57. **OCCUPATIO** est modus acqvirendi dominium illius rei, quæ nullius est.
58. **ACCESSIO** est modus acqvirendæ illius rei, quæ rei nostræ qualibet ratione accedit.
59. **ALLUVIO** est incrementum latens, quo agro nostro ita paulatim aliquid a flumine adjicitur, ut nesciatur, quantum quoquo temporis momento adjiciatur.
60. **SPECIFICATIO** est novæ speciei in aliquam rem introductio.
61. **FRUCTUS** sunt accessiones rei, quæ vel ex re, vel occasione rei percipiuntur.
62. **FRUCTUS naturales** sunt, quos sola natura producit.
63. **FRUCTUS industriales**, quos natura producit accedente cura & opera hominis.
64. **FRUCTUS CIVILES** sunt, qui non ex re, sed occasione rei percipiuntur, ut usura, & pensiones.
65. **THESAURUS** est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat.

66. **TRADITIO** est actus, quo res corporalis a Domino, titulo ad transferendum Dominium habili, in alium acceptantem transfertur.
67. **RES CORPORALES** sunt, quæ sui natura tangi possunt.
68. **RES INCORPORALES** sunt, quæ sui natura tangi non possunt, sed in jure consistunt.
69. **SERVITVS** est jus in re aliena alteri constitutum, quo Dominus in commodum alterius, aliquid pati in suo, aut non facere cogitur.
70. **SERVITVS rustica** est, quæ in alterius prædii Rustici utilitatem est constituta.
71. **ITER** est jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum.
72. **ACTUS** est jus agendi jumentum vel vehiculum per fundum alienum.
73. **AQVÆ ductus** est jus aquæ ducendæ per fundum alienum ad nostri fundi utilitatem.
74. **SERVITVS urbana** est, quæ in alterius prædii urbani utilitatem est constituta.
75. **PRÆDIUM urbanum** est, quod hominis gratia est constitutum.
76. *Servitus oneris ferendi* est jus habendi ædificium, super alterius pariete vel columna, ut ibi requiescat.
77. *Servitus tigni immittendi* est jus habendi trabem, vel aliam partem ædificii in vicini pariete.
78. *Servitus stillicidii recipiendi* est jus, quo vicinus pati debet, ut pluviam ex meo in ipsius fundum derivem.
- Non *recipiendi* vero est jus, quo vicinus pati debet, ut pluviam ex ejus ædibus in meam aream derivem.
79. *Servi-*

79. *Servitus Fluminis* est jus aquam pluviam collectam, instar fluminis in alienam arcam derivandi.
80. *Servitus Cloacæ* est jus sordes mei fundi per vicinum derivandi.
81. *Servitus altius tollendi* est jus, quo vicinus pati debet, ut altius tollam ædificium, quod ex statuto invito vicino altius tollere non licebat.
82. *Servitus altius non tollendi* est jus prohibendi, ne vicinus ultra certam mensuram altius ædificet.
83. *Servitus luminum* est jus fenestras in pariete alieno vel communi habendi.
84. *Servitus ne luminibus officiat* est jus prohibendi, ne vicinus fenestras in nostro pariete factas, contra ædificando obscureret.
85. *SERV. prospectus* est jus prospiciendi in alterius fundum.
86. *SERV. ne prospectui officiat* est jus prohibendi, ne gravior & liberior quaquaversum prospectus impediatur.
87. *SERVITVS personalis* est jus, quo prædium alienum alterius personæ servit.
88. *USUSFRUCTUS* est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia.
89. *USUS* est jus alienis rebus utendi ad necessaria vitæ subsidia, salva earum substantia.
90. *HABITATIO* est jus inhabitandi ædes alienas, & omne commodum ex illarum habitatione percipiendi.
91. *Usucapio* est adjectio domini per continuationem possessionis, temporis Lege definiti.
92. *BONA fides* est opinio, qua quis credit, rem esse suam, vel auctoris sui.
93. *Iustus titulus* est causa possessionis ad transferendum dominium habilis. I 5 94. Do-

94. DONATIO est actus, quo rem, nullo jure cogente, in aliquem transferimus.
95. DONATIO *mortis causa* est actus, quo mortalitatis cogitatione moti, in eventum mortis nostrae, rem in alium receptantem transferimus.
96. DONATIO *inter vivos* est pactum legitimum, quo quis nullo jure cogente, ex sola animi benignitate, aliquid alteri promittit vel remittit.
97. DONATIO *propter nuptias* est contractus, quo a marito aliquid uxori in securitatem dotis constituitur.
98. PECULIUM est pusilla pecunia, quam illi, qui in alterius potestate sunt, a rationibus illorum, in quorum potestate existunt, separatam habent.
99. PECULIUM *Castrense* est, quod filiusfamil. occasione armatae militiae acquisivit, nec, si militasset, acquisiturus fuisset.
100. PECULIUM *quasi Castrense* est, quod occasione togatae militiae, sive per artes liberales, filio honeste est quaesitum.
101. PECULIUM *profectitium* est, quod ex re patris, vel ejus intuitu, ad filium pervenit.
102. PECULIUM *adventitium* est, quod non ex re Patris, sed aliunde filio, vel fortunae beneficio, vel per operas obvenit.
103. HEREDITAS est successio in universum jus, quod defunctus habuit.
104. Testamentum est voluntatis nostrae iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.
105. HEREDIS *Institutio* est successoris universalis in testamento facta designatio.

106. EX-

106. EXHEREDATIO est exclusio a Legitima, in testamento verbis expressis facta.
107. SUBSTITUTIO est secundi heredis institutio, in locum deficientis primi.
108. SUBSTITUTIO *pupillaris* est, quæ fit a Patre filiosam. impuberi, non solum in eum casum, quo heres non fuerit, sed & si fuerit, & impubes decesserit.
109. SUBSTITUTIO *quasi pupillaris* est, quæ fit a Parentibus liberis mente captis aut alio vitio, ob quod testari nequeunt, laborantibus, in casum, si in tali conditione decesserint.
110. TESTAMENTUM *inofficiosum* est, in quo personarum, quibus legitima debetur, inique sunt exclusæ.
111. QUERELA *inofficiosi* testamenti est impugnatio testamenti quasi contra pietatem facti, qua petitur, ut testamentum rescindatur, & exclusus ab intestato admittatur.
112. LEGITIMA est certa portio legibus determinata, necessario a testatore relinquenda liberis, parentibus, & certo casu fratribus.
113. LEGATUM est donatio quædam, a defuncto relicta, ab herede præstanda.
114. FIDEICOMMISSUM est ultima contestatio, quæ per interpositam personam verbis precariis aliquid alicui relinquitur.
115. FIDEICOMMISSUM *universale* est, quando quis totam hereditatem, vel ejus partem restituere tenetur.
116. FIDEICOMMISSUM *particulare* est, quando quis rem singularem alicui restituere rogatur.
117. QVAR-

117. **QVARTA Falcidia** est portio, quæ heredi, Legatis gravato, salva esse debet.
118. **QVARTA Trebellianica** est portio, ab herede, fideicommissis gravato, detrahenda.
119. **CODICILLUS** est ultima voluntas minus solennis, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, excepta heredis institutione.
120. **CLAUSULA codicillaris** est expressio enixæ voluntatis Testatoris, in Testamento ideo facta, ut si illud non possit valere ut testamentum, valeat ut Codicillus.

*LIB. III.*

121. **JUS ad rem** est facultas personam obstringens, ad dandum aliquid vel faciendum.
122. **OBLIGATIO** est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura.
123. **OBLIGATIO naturalis tantum** est vinculum Juris naturalis, quo quis citra Juris civilis assistentiam ad præstandum aliquid adstringitur.
124. **OBLIGATIO Civilis tantum** est vinculum Juris Civilis, quo quis citra æquitatis naturalis rationem ex simplici promissione ad præstandum aliquid adstringitur.
125. **PACTUM** est duorum vel plurium in idem placitum consensus, carens nomine & causa.
126. **TRANSACTIO** est rei dubiæ conventa & non gratuita decisio.
127. **PACTUM nudum** est, quod in simplicibus conventionis finibus subsistit, nec actionem jure civili producit.
128. **PACTUM non nudum** seu vestitum est, quod ul-



tra simplices conventionum fines extrinsecus accipit potestatem efficaciter obligandi.

129. **CONTRACTUS** est conventio per se & sua natura obligationem efficacem producens.
130. **CONTRACTUS** *verus* est, qui vero utriusque contrahentium consensu, verbis, literis vel facto declarato, constat.
131. **QVASI contractus** est, qui ex unius facto, & alterius præsumpto consensu, efficacem producit obligationem.
132. **CONTRACTUS** *nominatus* est, qui certam ac specialem formam habet, indeque speciale nomen.
133. **CONTRACTUS** *innominatus* est, qui certum ac speciale nomen non habet, sed causam, dationem scilicet, vel factum.
134. **DOLUS** est calliditas, ad alium lædendum scienter adhibita.
135. **CULPA LATA** est omissio communis diligentia, quam omnes homines rebus suis impendere solent.
137. **CULPA LEVIS** est omissio mediocris diligentia, quam diligentes & prudentes homines rebus suis impendere solent.
138. **CULPA LEVISSIMA** est omissio exactissimæ diligentia, quam diligentissimi homines rebus suis impendere solent.
139. **CASUS FORTUITUS** est inopinatus eventus, qui ab homine prævideri aut præcaveri non potuit.
140. **CONTRACTUS REALIS** est conventio, quæ præter consensum actualem rei traditionem requirit ad sui perfectionem. 141. **MU-**

141. **MUTUUM** est contractus realis, quo rei nostræ fungibilis Dominium in alium transferimus, ut eadem nobis reddatur in genere, eben ders gleichen.
142. **COMMODATUM** est contractus realis, quo res alicui gratis ad certum usum ita conceditur, ut eadem, finito usu, restituatur in specie, eben dasselbe.
143. **DEPOSITUM** est contractus realis, quo res alicui gratis custodienda traditur, ut eadem reddatur in specie quandocunqve.
144. **SEQVESTRUM** est depositum rei litigiosæ, lite finita, victori restituendum.
145. **PIGNUS** est contractus realis, quo debitor rem aliquam in securitatem crediti tradit, ut eadem, soluto debito, in specie restituatur.
146. **STIPULATIO** est contractus verbalis, quo respondens interroganti ad aliquid dandum vel faciendum obligatur.
147. **FIDEJUSSIO** est contractus verbalis, accessorius, quo quis ad majorem creditoris securitatem fidem pro principali debitore interponit.
148. **BENEFICIUM EXCISSIONIS** est privilegium, illis, qui accessorie sunt obligati, concessum, ne bonis Principalis debitoris nondum excusis, cum effectu conveniantur.
149. **BENEFICIUM DIVISIONIS** est Privilegium, pluribus obligatis concessum, ne, reliquis solvendo existentibus, ultra ratam teneantur.
150. **BENEFICIUM CEDENDARUM ACTIONUM** est Privilegium, quo obligatus pro alio solvere non tenetur, nisi a creditore cessæ fuerint actiones, ei quavis ratione competentes.
151. **CON-**

151. **CONTRACTUS LITERALIS** est confessio literis facta, de accepta pecunia restituenda, post biennium obligationem efficacem producens.
152. **CONTRACTUS CONSENSUALES** sunt, qui solo consensu perficiuntur, nec vel rei traditionem desiderant, vel verba, vel scripturam.
153. **EMPTIO VENDITIO** est contractus consensualis, de re pro certo pretio Emptori tradenda.
154. **LOCATIO CONDUCTIO** est contractus consensualis, de usu rei vel operæ pro mercede concedendo.
155. **EMPHYTEUSIS** est contractus consensualis, de utili rei dominio transferendo sub lege meliorationis, & canonis annui, in recognitionem domini directi solvendi.
156. **SOCIETAS** est contractus consensualis, de re vel opera ad uberiores quæstum communicanda.
157. **MANDATUM** est contractus consensualis, de negotio ab alio commisso gratis peragendo.
158. **NEGOTIORUM GESTIO** est quasi contractus, quo quis alterius ignorantis negotia, sine mandato utiliter gerenda, suscipit.
159. **TUTELAE ADMINISTRATIO** est quasi contractus, quo tutor ad personam, & res pupilli fideliter gubernandas, & rationes reddendas obligatur.
160. **RERUM COMMUNIO** est quasi contractus, quo duo pluresve sine expressa conventionem in communionem incidunt, & alter alteri obligatur ad lucri divisionem, damnaque reparationem.

161. HEREDITATIS COMMUNIO est quasi contractus, quo coheredes sibi invicem obligantur ad dividendum, communicandaque lucra, & damna hereditaria reparanda.
162. HEREDITATIS ADITIO est quasi contractus, quo heres adeundo hereditatem, ad Legata & Fideicommissa Legatariis & Fideicommissariis exsolvenda obligatur.
163. INDEBITISOLUTIO est quasi contractus, quo is, qui indebitum per errorem solutum accepit, ad ejus restitutionem obligatur.
164. SOLUTIO est modus obligationem dissolvendi, per naturalem rei debitæ præstationem.
165. ACCEPTATIO est modus obligationem, verbis contractam, contrariis vicissim verbis dissolvendi, perinde ac si re vera solutio facta.
166. AQUILIANA STIPULATIO est modus obligationem ex quocunqve contractu oriundam in stipulatum transmutandi, & postea per acceptilationem tollendi.
167. NOVATIO est prioris obligationis in aliam novam, sive civilem, sive naturalem transfusio.
168. CONFUSIO est modus tollendi obligationem ob id, quod jus creditoris & debitoris in eandem personam concurrat.

LIB. IV.

169. DELICTUM est turpe factum contra Leges Reipublicæ.
170. DELICTUM *privatum* est, quod directo & principaliter in privatum committitur, ideoque ad pœnam læso applicandam agitur.
171. FURTUM est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus posses-

possessionisve, quod Lege naturali prohibitum est admittere.

172. FURTUM *manifestum* est, in quo fur cum re furtiva deprehensus, antequam ad locum destinatum pervenit.

173. FURTUM NON MANIFESTUM est, in quo fur cum re furtiva dicto modo deprehensus non est.

174. RAPINA est delictum privatum, quo res aliena mobilis violenter & palam lucrificandi animo auferitur.

175. DAMNUM INIURIA DATUM est delictum privatum, quo dolo vel culpa res alicujus læsa: quod vindicatur L. Aquilia.

176. INIURIA est delictum privatum, quo quid dolo malo in alterius contumeliam admissum.

177. INIURIA REALIS est, quæ fit facto contumelioso vel in corpus, vel extra corpus.

178. INIURIA VERBALIS est, quæ fit verbis, vel ore prolatis, vel scripto comprehensis.

179. INIURIA SCRIPTA (in specie sic dicta) est Satyrica traductio hominis citra imputationem criminis.

180. LIBELLUS FAMOSUS est Scriptura in publicum sparsa, quæ certum crimen alicui objicitur.

181. QVASI DELICTUM est, quo facto per se licito, sed male applicato, quis per consequentiam læditur.

182. ACTIO *de dejecto vel effuso* est, quæ datur illi, cui nocitum est in itinere publico, adversus inhabitorem, ad duplum damni dati.

K

183. AC-

183. **ACTIO de posito vel suspensio** est, quæ datur cuilibet ex populo, adversus illum, qui in eo loco, ubi vulgo iter fit, aliquid periculose positum vel suspensum habet, ad poenam decem Aureorum.
184. **ACTIO** est jus persequendi in Judicio, quod sibi debetur.
185. **ACIONES REALES** sunt, quæ ex jure in re oriuntur, & adversus quemcunque possessorem dantur, ad rem restituendam.
186. **REI VINDICATIO** est actio realis, qua quis rei certæ dominum se declarari, & rem restitui petit.
187. **ACTIO CONFESSORIA** est actio in rem civilis, qua quis asserit, sibi servitutem in alieno competere, contra quemcunque impedientem, ad declarationem illius servitutis, liberumque ejus usum.
188. **ACTIO NEGATORIA** est actio realis, quæ datur illi, qui servitutem alteri in prædico suo debere negat, adversus illum, qui eandem sibi prætendit, ad id, ut prædium illud liberum declaretur, Reusque a prætensa servitute desistat.
189. **ACTIO PUBLICIANA** est actio in rem prætoriana, quæ datur illi, qui usucapere coepit, contra quemvis sine titulo possidentem, ad illam, ac si usucapta esset, restituendam.
190. **ACTIO RESCISSORIA** est actio in rem prætoriana, quæ datur illi, cujus res ob absentiam usucapta, contra quemcunque illius rei possessorem, ad id, ut rescissa usucapione, perinde ac si usucapta non fuisset, restituatur.
191. **ACTIO PAULIANA** seu **REVOCATORIA** est actio

actio in rem prætoriam, quæ datur creditoribus, in bona debitoris immixtis, adversus possessores bonorum in fraudem alienatorum, ad id, ut eadem restituantur.

192. ACTIO SERVIANA est actio in rem prætoriam, quæ datur Locatori prædii Rustici, adversus quemcunque, rerum a Colono sibi pro pensione & damnis expresse obligatarum, possessionem, ad consequendam illarum possessionem.
193. ACTIO *quasi Serviana sive hypothecaria* est actio in rem prætoriam, quæ datur Creditori adversus quemcunque rei oppignoratæ possessionem, ad consequendam illius possessionem.
194. ACTIONES PERSONALES sunt, quæ ex jure ad rem seu obligatione oriuntur, & tantum adversus illum, qui nobiscum contraxit, dantur, ad dandum aliquid, vel faciendum.
195. ACTIO *de constituta pecunia* est actio in personam Prætoriam, quæ datur creditori, contra illum, qui quod vel ipse, vel alius antea nudo pacto debebat, novo pacto iterum promittit, ad promissi fidem liberandam.
196. ACTIO *in factum ex jurejurando* est Actio in personam prætoriam, quæ datur illi, qui deferente adversario extra judicium juravit sibi deberi, ad servandum hoc, quod juratum.
197. JURAMENTUM est religiosa invocatio nominis divini ad faciendam fidem.
198. JURAMENTUM VOLUNTARIUM est, quod Pars Parti extra judicium defert.
199. JURAMENTUM JUDICIALE est, quod pars parti in judicio comprobante Judice defert.

200. JURAMENTUM NECESSARIUM est, quæ  
 Judex in causis dubiis, ob inopiam probationis,  
 uni partium defert, quod necessario est præstan-  
 dum.
201. JURAMENTUM SUPPLETORIUM est, quod  
 Judex defert ei, qui semiplene probavit, ut per  
 id suppleatur probatio.
202. JURAMENTUM PURGATORIUM est, quod  
 Judex imponit ei, contra quem præsumptiones  
 semiplena probatione leviores militant, ut illas  
 elidat.
203. ACTIO *de Albo corrupto* est actio prætoris, pœ-  
 nalis, quæ datur cuilibet de populo, adversus  
 eum, qui ex albo prætoris, quod perpetuæ ju-  
 risdictionis causa propositum erat, aliquid do-  
 lose corrumpit, ad pœnam quingentorum au-  
 reorum.
204. ACTIONES PRAEJUDICIALES sunt, in qui-  
 bus agitur de statu seu conditione hominum  
 civili.
205. ACTIONES REI PERSECUTORIÆ sunt, qui-  
 bus persequimur id, quod nobis ex Patrimo-  
 nio abest, sive id nostrum sit, sive nobis debeat-  
 ur.
206. ACTIONES POENALES sunt, quibus non id,  
 quod nobis abest, persequimur, sed pœnam  
 Legibus constitutam.
207. ACTIONES MIXTÆ sunt, quibus partim rem  
 persequimur, quæ abest, partim pœnam Legi-  
 bus constitutam.
208. ACTIO FINIUM REGUNDORUM est actio  
 mixta, quæ datur inter confinantes, ad fines  
 discer-



- discernendos, nec non ad præstationem ejus,  
quod eo nomine interest.
209. **ACTIO FAMILIÆ HERCISCUNDÆ** est actio mixta, quæ datur inter coheredes, de rebus hereditariis dividendis, commodis communicandis, damnisque refarciendis.
210. **ACTIO COMMUNI DIVIDUNDO** est, quæ illi, quibus res particularis communis est, inter se agunt, de re ista dividenda.
211. **ACTIO SERVI CORRUPTI** est actio prætoriam, quæ datur Domino Servi, adversus illum, qui dolo malo servum quoad animum deteriore reddidit, ad duplum ejus, quod interest.
212. **ACTIO quod metus causa** est actio prætoriam, in rem scripta, quæ datur metum passio, adversus quemcunque rei metu amissæ possessorem, ad illam restituendam, aut ad quadruplum.
213. **ACTIO BONÆ FIDEI** est, in qua Judex liberam habet potestatem æstimandi, quantum alter alteri ex bono & æquo, etiam citra expressam conventionem, præstare debeat.
214. **ACTIONES ARBITRARIÆ** sunt, quæ ab arbitrio, id est, jussu Judicis dependent, ita, ut, si huic satisfiat, absolutio; sin minus, ex æquo & bono condemnatio sequatur.
215. **COMPENSATIO** est debiti & crediti inter se contributio.
216. **LIBELLUS** est Scriptura futuræ litis speciem demonstrans.
217. **BENEFICIUM COMPETENTIÆ** est beneficium, certis quibusdam personis ideo concessum, ne ob debita ad sacrum & peram excutiantur, sed necessaria vitæ subsidia retineant.

218. **CESSIO BONORUM** est beneficium, obarato concessum, quo offerendo Creditoribus bona, se a carcere vel ulteriori executione liberat.
219. **ACTIO QVOD JUSSU** est actio prætoria personalis, quæ datur illis, qui cum seruo vel filiofam. contraxerunt, adversus Dominum vel Patrem jubentem, ad præstandum id, quod conventum.
220. **ACTIO INSTITORIA** est actio prætoria personalis, quæ datur illis, qui cum institore secundum Legem præpositionis contraxerunt, adversus præponentem, ut satisfaciatur contractui.
221. **ACTIO TRIBUTORIA** est actio prætoria personalis, quæ datur creditoribus servi vel filiofam. adversus Dominum vel Patrem, ad iniquam vel fraudulentam peculii distributionem corrigendam.
222. **ACTIO DE PECULIO** est actio in personam prætoriam, quæ datur creditoribus filiofam. vel servi, contra Patrem vel Dominum, ad implendum contractum pro quantitate peculii.
223. **ACTIO de in rem verso** est, quæ datur illis, qui cum seruo vel filiofam. contraxerunt, adversus Dominum vel Patrem, in quorum rem aliquid versum, ad præstandum tantum, quantum re vera versum.
224. **ACTIO NOXALIS** est actio personalis in rem scripta, quæ datur per factum servi læso, contra servi possessorem, ut vel damnum resarciat, vel servum noxæ dedat.
225. **PAUPERIES** est damnum, sine injuria facientis datum.

226. AC-

226. **ACTIO DE PAUPERIE** est actio personalis, in rem scripta, quæ datur læso a bestia mansueta, contra ejus possessorem, ad id, ut aut noxæ animal dedat, aut damnum resarciat.
227. **PROCURATOR** est, qui aliena negotia mandato domini administrat.
228. **EXCEPTIO** est defensio, Reo competens, ad excludendam actoris intentionem.
229. **EXCEPTIO DOLI** est, quæ datur contra illum, qui petit, quod dolo ipsius promissum.
230. **EXCEPTIO ERRORIS** est, quæ datur illi, qui aliquid per errorem, quasi deberet, promissit.
231. **EXCEPTIO peremptoria** est, quæ actionem in totum perimit aut minuit.
232. **EXCEPTIO DILATORIA** est, quæ actionem non minuit, nec tollit, sed ad tempus tantum differt.
233. **INTERDICTA** sunt jussus, quo Prætor jubebat aliquid fieri, vel prohibebat, maxime circa possessionem.
234. **INTERDICTUM quorum bonorum** est, quod datur bonorum possessori sive heredi, adversus eum, qui pro herede aut pro possessore possidet, ad possessionem rerum hereditariarum consequendam.
235. **INTERDICTUM uti possidetis** est, quod datur possessori rerum immobilium turbato, adversus quocunque modo turbantem, ut turbare desinat, & damna restituat.
236. **INTERDICTUM UTRUBI** est, quod datur possessori rerum mobilium turbato, præsentanda possessione.

237. **INTERDICTUM UNDE VI** est, quod datur ei, qui de possessione rerum immobilium vi dejectus est, adversus dejectentem, ad possessionem cum omni causa recuperandam.
238. **INTERDICTUM quod vi aut clam** est, quo Prætor, quod vi aut clam in nostri præjudicium factum, restitui jubet.
239. **JURAMENTUM CALUMNIÆ** est, quod præstant litigantes, se credere, causam suam esse justam, & se eam sincere & bona fide persecuturos.
240. **INFAMIA** est macula, ex turpi facto contracta, alicujus existimationem minuens vel tollens.
241. **EXISTIMATIO** est dignitatis illæsæ status, Legibus & moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate Legum aut minuitur, aut consumitur. *L. 5. §. 1. ff. de Extr. Cognit.*
242. **CITATIO** est Legitima Rei ad Judicem ipsius jussu & auctoritate facta vocatio.
243. **CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS** est crimen publicum, quo summa in Rep. potestas læditur.
244. **CRIMEN PERDUELLIONIS** est, quo quis aliquid directo adversus Principis personam vel Remp. hostili animo machinatur.
245. **ADULTERIUM** est violatio thori alieni.
246. **STUPRUM** est concubitus, cum virgine vel vidua, honeste vivente, commissus.
247. **FORNICATIO** est concubitus cum meretrice seu fœmina, pluribus se prostituente.
248. **SODOMIA** est concubitus contra naturam commissus.

- commissus, in persona ejusdem sexus, vel be-  
 stia.
249. PARRICIDIUM est interemptio personæ, cum  
 quæ parentelæ, vel aliud proximum sanguinis  
 vinculum intercedit.
250. CRIMEN FALSI est dolosa veritatis immuta-  
 tio in damnum alterius, Lege notata.
251. CRIMEN *vis publicæ* est crimen publicum,  
 quo per violentiam armatam aliquis damno  
 afficitur.
252. CRIMEN *vis privata* est, quod leviori violen-  
 tia committitur.
253. RAPTUS est honestæ personæ libidinis gratia  
 de loco in locum abductio.
254. PECULATUS est subtractio pecuniæ publicæ  
 ab eo, cujus fidei & periculo non est com-  
 missa.
255. PLAGIUM est dolosa surreptio hominis liberi,  
 vel servi alieni.
256. CRIMEN AMBITUS est acquisitio officii civi-  
 lis mediante pretio.
257. SIMONIA est acquisitio muneris Ecclesiastici,  
 vel rei spiritualis, mediante pretio.
258. CRIMEN REPETUNDARUM est acceptio  
 pecuniæ ad faciendum vel non faciendum  
 illud, ad quod vi officii publici adstringeba-  
 tur.
259. CRIMEN ANNONÆ est omne factum ad in-  
 ducendam caritatem rerum, ad victum perti-  
 nentium.
260. CRIMEN DE RESIDUIS est conversio pe-  
 cuniæ publicæ in usum privatum, ab eo, cu-  
 jus fidei & periculo commissa fuit.

*Memoriale SCtorum.*

**C**arbonianum SC. bonorum possessionem tribuit impuberi, cui quæstio filiationis mota, dilata quæstione Status in tempus pubertatis.

2. Claudianum SC. mulierem semet servo iungentem in servitutum detrudebat, quod sublatum *iii. C. de SC. Claud. toll.*

3. Junianum SC. sive Numianum contra Dominos illos editum, qui per collusionem servos suos ingenuos asserebant, qui servi fiebant collusionem detegentium. *L. 1. ff. & L. 2. de Collus. deteg.*

4. Julianum SC. latum contra illos, qui hereditatem distraxerant, antequam partes caducæ ex bonis rustici fisco peterentur. *L. 20. §. 6. ff. de Hered. petit.*

5. Libonianum SC. est, quo falsi tenetur, qui ob instruendam advocacionem testimoniave pecuniæ accepit, aut societatem ad obligationem innocentium iniverit. *L. 1. pr. & §. 1. ff. de L. Corn. de fals. & de SC. Libon.*

6. Macedonianum SC. occasione Macedonis improbi fœneratoris prohibet, ne quis filiosam mutuum det. *L. 1. ff. ad SC. Maced.*

7. Orficianum SC. liberis etiam illegitimis indistincte bonorum maternorum successionem defert. *Vid. iii. Cod. ad SC. Orfic.*

8. Pegasianum SC. heredi fideicommissis gravato concedit potestatem detrahendi quartam, quod SC. postea cum Trebelliano confusum. *§. 7. Inst. de Fideic. hered.*

9. Plancianum SC. injungit mulieri, ut, si post divortium se gravidam sentiat, intra 30. dies hoc denunciet

nunciet Marito, qui vel partui huic renunciare, vel  
custodes ventris mittere, vel alere tenebatur. *L. 1.*  
*§. 4. & 14. de Agn. & al. lib.*

10. Sabinianum SC. illum, qui ex tribus alterius  
liberis maribus aliquem adoptasset, obligabat, ut  
ipsi pariter quartam omnium bonorum relinque-  
ret, quam filio arrogato. *L. pen. §. 3. C. de Adopr.*

11. Silanianum SC. prohibet, ne testatore occiso  
Testamentum aperiatur, antequam quaestioni sub-  
jecti essent servi. *tit. ff. de SC. Silan.*

12. Tertullianum SC. matri liberorum successio-  
nem tribuebat, & ingenuæ quidem, si tres liberos;  
Libertinae vero, si quatuor edidisset. Vid *tit. ff. ad SC.*  
*Tertull.*

13. Trebellianum SC. heredi fideicommissis gra-  
vato datur, ad hoc, ut pro qua parte restituitur he-  
reditas, pro illa etiam parte transferantur onera he-  
reditaria. Imo hodie etiam ex hoc SCto detrahitur  
quarta Trebellianica. *§. 7. Inst. de Fideic. hered.*

14. Turpillianum SC. contra accusatores latum,  
qui in causa criminali vel calumniantur, vel præva-  
ricantur, vel tergiversantur seu desistunt. *L. 1. pr. ff.*  
*ad SC. Turpill.*

15. Vellejanum SC. succurrit mulieribus inter-  
cedentibus, ne ex sua fideiussione possint conveni-  
ri. Vid. *L. 1. ff. de SC. Vellej.*

16. Volusianum SC. contra illos latum, qui im-  
probe in alienam litem coeunt, ad communican-  
dum lucrum inde quaesitum. *L. 6. ff. ad L. Jul. de Vi-*  
*priv.*

## VERSUS GLOSSÆ MEMORIALES.

*Tituli Romanorum.*

*Illustri primus; medius spectabilis; imus*

*Uti lex testatur, clarissimus esse probatur.  
Et super illustris præponitur omnibus istis.*

*Officium Studiofi Juris.*

*Si quis forte velit Jaris-Consultus haberi,  
Continuet studium, velit a quocunque doceri;  
Invigilet, nec vincat eum tortura laboris:  
Fortior insurgat, cunctisq; recentior horis.*

*Contenta XII. Tabb.*

*Jus triplex: tabula quod ter sanxere quaterna,  
Sacrum, privatum, & populi commune, quod usquam  
est.*

*Impedimenta matrimonii.*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si forte coire nequibis,  
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

*Personæ, quibus prohibitum matrimonium.*

*Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor,  
Et patris conjux, mater, privigna, noverca,  
Uxorisque soror, privigni nata, nurusque,  
Atque soror patris, conjungi Lege vetantur.*

*Differentia inter adoptionem & Arrogationem.*

*Arrogo, qui suus est, sed habet meus esse necessè.  
Patris adopto suum, sed patris permanet  
idem.*

*Differentia inter Relegatum & Deportatum.*

*Qui deportantur, semper pœna cruciantur.  
Pœna relegatis est temporis, estque perennis.*

*Causæ finiendi tutelam.*

*Suspicio, crimen, mors, conditio, status, ætas,  
Tempus, causa, solent tutelæ ponere metas.*

*Cau-*



*Causa alienationis rei Ecclesiasticae.*

Utilitas, incommoditas, pietasque necesse,  
Res alienari permittunt Ecclesiarum.

*Requisita usucapionis.*

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque,  
Iusta fides, iustus titulus, res non vitiosa,  
Ut res tradatur, & tempus continuetur

*Causa revocanda donationis.*

Quinque modis perdo, mihi quæ donata fuere:  
Infero si damnum graviter donantis in ære;  
Si per me sit huic atrox injuria facta;  
Quando suæ vitæ crudeliter insidiabor;  
Ingratum factum dic me, si fregero pactum.

*Sive:*

Ingratum faciunt atrox injuria, damnum,  
Impia dextra, fides fracta, necisque pericla.

*Quibus prohibita alienatio.*

Conjux, Ecclesia, furiosus, menteque captus,  
Prodigus atque minor, existens sub Patre natus,  
Adversans fidei, majestatis reus: isti  
Res alienare proprias de jure vetantur,  
Præfacto debet sub jure Decurio scribi.

*Quibus testari non liceat.*

Testari nequeunt impubes, religiosus,  
Morte damnatus, & sub Patre filius, obses,  
Prodigus, & stultus, dubius, servus, furiosus,  
Crimine damnatus, cum muto, surdus, & ille,  
Qui majestatem læsit, cæcum quoque jungas.

*Causa exhereditationis liberorum.*

Bis septem ex causis exheres filius esto:

Si Patrem feriat, si maledicat ei;

Carcere detrusum si negligat, aut furiosum;

Criminis accuset, vel paret insidias;

Si

Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,  
Testarive vetet, se societve malis,  
Si mimos sequitur, vitietque cubile parentum,  
Non orthodoxus, filia si meretrix.

*Causa exheredationis Parentum.*

Si Pater accuset capitalis criminis, aut se  
Conjungat nurui, vitæque est insidiatus,  
Testari prohibet gnatum, dirumque venenum  
Præparet, inclusum si carcere, vel furiosum  
Negligat, & veram contemnat Religionem.

*De quantitate legitima.*

Quatuor aut infra Natis dant jura trientem,  
Semissem vero dant Natisquinque vel ultra,  
Arbitrium sequitur substantia cetera patris.

*Successio ab intestato.*

Res intestati capiunt gradus inferiorum.  
Qui si defuerint, subit hinc gradus anteriorum.  
Cum Patre succedunt fratres ab utroque parente.  
Sed tamen hos comitatur avus patre deficiente.  
Fratres ex uno, fratres remouent ab utroque  
Post fratres sobolemque suam quo quemque  
priorem

Dixeris esse gradu, de jure scias potiorum.

*Differ. Orfician. & Tertylliani Scti.*

Matri succedes o Nate per Orficianum,  
Invidiam portat e contra Tertyllianum.

*Forus. Forum.*

Causatur, venditque forum, signatque foramen:  
Alta fori loca sunt, datque carina foros.

*Debitum annuum.*

Annua si debes, tunc inspicias caput anni:  
Anno si debes, in fine teneberis anni:

*Mult-*

*Mulier fidejubens.*

Casibus in denis mulier spondendo tenetur:  
Pro libertate, & pro dote, renunciat, & si  
Decipiat, pretium capiat, caveatque secundo,  
Debenti si succedit, si debita coepit,  
Sin minor est credens, si commoda propria gessit.

*Emphyteuta.*

Res perit tota, tunc nil dabit Emphyteuta;  
Si pro parte perit, non ita liber erit.

*Libellus.*

Qvis, quid, coram quo, quo jure petatur, & a quo,  
Recte compositus quisque libellus habet.

*Actiones bonae fidei.*

Emti, Erciscundae, Mandati, depositique  
Pignora, Conducti, Communi, pro Socioque,  
Dotis & Heredis, tutelae, commoda, gestor,  
Praescriptis verbis Permutat, & Aestimatus; ista  
Dico bonae fidei: stricti sunt cetera Juris.

*Juramentum calumniae.*

Illud juretur, quod lis sibi iusta videtur;  
Et si quaeretur, verum non inficietur;  
Nil promittetur, nec falsa probatio detur;  
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

*Actiones infamantes.*

Judice damnatos infames reddit ubique,  
Quod vi diripitur, injuria, furta, doli que,  
Actio mandati, tutelae depositique  
Directo, si pro socio, communis utroque.

Execu

*Executio sententia.*

In personali post menses quatuor: in re  
Protinus est omnis sententia perficienda.  
Sic in criminibus: sed casus excipe quinque,  
Confessus, prægnaus, iratus, & infula, servus.

*Leges damnata.*

Damnetur Mater, damnetur Lectaque Frater.  
Damnetur Gallus, damnetur Filius ejus.



Canons  
Prohib  
Decret  
Pope  
Irvus.

ter.  
Si pro

...

...

...

Judicial  
Quod  
Actio  
Quo

...





Kb 2126

X2434517

me





Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



# MEMORIALE TITULORUM JURIS

ex  
DECRETALIBUS,  
INSTITUTIONIBUS,  
DIGESTIS

ET  
CODICE,

primo secundum feriem Rubricarum;  
deinde vero secundum ordinem  
Alphabeticum,

*in discentium gratiam memorie juvande  
causa hac metodo compendiosa, ut tanto  
facilius inveniri possint,  
adornatum.*

Accesserunt

## DEFINITIONES JURIDICAE,

ad feriem  
INSTITUTIONUM.

WITTEBERGAE,

ad GODOFREDUM ZIMMERMANNUM,  
M D C C XII.

